



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. I. Sermonis ingressus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

NICETAS.

SEV

TRIVMPHATA

INCONTINENTIA.

LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

SERMONIS INGRESSVS.

Parthenius & Aedesimus colloquuntur.



PARTHENIUS. In manu mihi erat his diebus Hieronymus, ille linguarum totiusque antiquitatis doctissimus scriptor, & Orbis Oraculum, de quo non immerito ferebatur illud: *Neminem scisse quod HIERONYMVS ignoraret.* ADESIMVS. Breviter simul &

copiose laudas doctorem laude dignissimum, cuius si vel epistolas solum evolvas, magnam eruditionis thesaurum inuenies eruendum. **PARTH.** Has ipsas legi, quibus libro tertio miscet res gestas Pauli primi anachoreta, ubi mentionem iniecit Aegyptii iuuenis, cuius heroicam virtutem, nulla, putem, unquam secula satis obstupefcent. **ADES.** Hoc ipsum non ita pridem, & legi, & pæne in saxum steri. Quid nos, Partheni, ad Heroas istos? **PARTH.** Ita est; sed quæso te, si quidem plura super hoc liber disserere, hanc tu mihi sellam occupa, sedentes coaptum sermonem pertexemus, nam novi te è gente Peripateticorum non esse, & Dion olim putat, uti arcum & lyram, ita & homines quiete vigere, & Stagiritæ scitum est: *sedendo & quiescendo animum fieri prudentem.* **ADES.** Sed num, Partheni, de Castitate disserturis quies adeo est commendanda? nosti illud de Aegystho adultero: *desidiosus erat.* **PARTH.** Quietem, mi Aedesime, non orium, non desidiam suasi. Sed ad rem, & NICETÆ nostri palæstram propius inspiciamus. **ADES.** Sed hac lege, ut tu mihi Theseus sis per omnem hunc explicandi labyrinthum. Ego Hieronymum sumo, & ad verbum lego, te auditurus interpretem.

§. I.

Stratagemata continentis studium.

ALIUM juvenili ætate florentem, in amoenissimos hortulos præcepit abducere: ibique inter candentia lilia & rubentes rosas, cum leni murmure aquarum iuxta serperet rivus, & molli sibilo arborum folia ventus præstringeret, super extractum plumis lectum resupinari iussit: & ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irritum relinquit. Quod cum, recedentibus cunctis, meretrix speciosa venisset, cepit delicatis colla stringere complexibus, ut corpore in libidinem concitato, se victrix impudica superjaceret. Quid ageret miles Christi, & quod se conferret, nesciebat. Quem tormenta non vicerant, superaret voluptas? Tandem cælitus inspiratus, præcisam morsu linguam, in osculantis se

A faciem expuit: ac sic libidinis sensum, succedens doloris magnitudo superavit. **PARTH.** O factum, Superi, omnibus retro sæculis inauditum! omnibus post sæculis S. Pauli obstupefendum! Hoc est pugnare, hoc vincere, hoc triumphare! Eandem ego historiam ex Nicephoro veteris nonnihil aliis, conscripsi nuper. Exercendo stylo, libetne audire? **ADES.** Libet quàm maximè. Milles hoc mihi narra, nunquam satiabis has aures. **PARTH.** Ergo recitare jubes? **ADES.** Et jubeo & volo: recita. **PARTH.** Ergo animum & aures adverte.

CAPVT II.

Illustrissimum NICETÆ facinus paulo fusius narratum.

IACTAT priscum ævum sui Anaxarchi libertatem, qui in vinculis tortus, linguam dentibus præcisam, in tyranni os expuit. Ne superbi, mi Anaxarche: Viros ego tecum vel cum Murio, aut Aquilio, aut Regulo comparem? pueri & muliercule nostræ, vobis sæpe non pares tantum, sed superiores longè, & vel in arctissimis vinculis liberiores sunt. Satis id ostendit Aegyptius ille juvenis, NICETAS, cuius plus quàm heroicam libertatem & fortitudinem, nemo satis, non dicam, laudet, sed nec miretur satis. Felicem te, dicebat Rex Macedo de Achille, qui virtutis tuæ præconem nactus es Homerum; idem ego de hoc juvene verius: Felicem te, NICETAS, qui tuæ virtutis panegyristen nactus es Hieronymum. Et videte mihi obsecro inter quos & quàm indiosas catenas, libertatem suam sit professus, castissimus hic Achilles noster, cui longè periculosior scena fuit instructa quàm socio. Lectus erat supra omnem Sardana-pali plumam & Heliogabali olorinam culcitram mollis & delicatus; in hunc abjectus juvenis, non ferreis sed bombyciniis vinculis ligabatur. Jam actum esse dixisses de retinendâ pudicitia inter tot insidias. Circum circa Voluptas sua invitamenta disponebat, quibus pudica mens suæ castitatis propositum vix potuit non vendere. Stabant foliorum germine renidentes arbores, quæ cum hilari odore gratas diffundebant umbras, & clementi brachiorum motu dulces susurros obfufilabant. Has inter loquax rivulus & omni crystallo nitidior errantibus ludebat aquis, & querulo rore lapillos vexabat. Unde pæne musico concentu pullabatur. Utrunque flores & copiosa Zephyri familia. Hinc è viridi prato argentea ridebant lilia, illinc purpurascens rose promicabant; istinc Narcissorum nivem & ebur, Hyacinthorum sanguis & aurum acuebat; ventulus ab omni parte placidissimus aspirabat. Heu! quid facies Christiana libertas? undique ad voluptatem invitatis; in tot